

rum datur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris.

DLXXIII. Contractus, quo quis promittit se praestitutum, quod alius debet, nisi ipse praestet, est *fidei iussio*. Itaque I. ad sunt tunc duo debitores, principalis et accessorius II. Posterior tantum sub conditione se obligavit, igitur conveniri nequit, nisi excusso principali; hinc habet fideiussor ex fideiussionis natura *beneficium ordinis*. III. Si debitum principale sit irritum, irrita est etiam fideiussio; quae porro statim cessat, quando principalis praestitit, quod debebat.

DLXXIV. Actus, quo quis de re securus redditur, *cautio* vocatur; alia igitur est nude promissoria seu *satisdatio*. Continet autem omnis cautio conditionem obligationis primariae, neque sola, qua talis, subsistere potest. Ceterum haec cauendi necessitas est quoddam humanae perfidiae testimonium.

CAPVT XXII.

De modis quibus obligationes et contractus cessant.

DLXXV. Tollitur obligatio, si, qui alteri obligatus erat ad aliquid dandum vel faciendum, obligatus esse definit, sublatio autem obligationis *liberatio* nominatur.

DLXXVI. Praestare id, quod debetur, est *soluere*. Solutione facta creditoris ius cessat, ergo etiam obligatio debitoris est extincta. Ast solutio non est, nisi *totum, loco, tempore, modoque debito* praestetur; *dari* ergo *in solutum*, seu aliud pro alio solui, nequid creditori invito, nisi praecisa ac vera solutio sit impossibilis, et tamen obligatio ad tantundem praestandum subsistat.

DLXXVII.

DLXXVII. Is compensat, qui debitum soluturus, id in solutum imputat creditori, quod hic ipsi debet. Quum aliud pro alio invito solui nequeat, ea tantum compensari poterunt, quae sunt omnino aequivalentia, nimirum genus cum genere eodem; tunc enim, qui compensat, *brevi manu solvit*, et ab obligatione liberatur. Contra, debitum liquidum, in quo certo constat, *quid, quantum et quale* debeatur, cum illiquido, facta cum factis, vel genus unum cum genere diverso, aut cum specie compensare non licebit, nisi et alter consenserit.

DLXXVIII. Quemadmodum in mora est debitor, si a die vel ab homine interpellatus non solvat, et hinc ad refarciendum damnum datum tenetur, ita creditor est in mora, si solutionem oblatam sine causa non admittat; damnum porro ortum ex omiſſa rei adprehensione soli creditori imputandum est, et eatenus debitor *debiti oblatio obligatus esse desinit*.

DLXXIX. *Re in specie debita pereunte* perit ius in illa constitutum, et impossibilis est eius praestatio, ergo etiam obligatio illam praestandi cessat. Quod si factum alterius iniustum sit interitus causa, succedet ius petendi reparationem; si vero res pereat casu, ei plene perit, qui rei est dominus, aut ius aliud in eadem adquisiuit.

DLXXX. Nemo plus iuris in alterum transfert, quam se transferre velle declaravit; igitur, qui ad tempus vel pro certo statu, aut sub conditione se obligat, si tempus labitur, status mutatur, vel conditio deficit, ab obligatione est immunis.

DLXXXI. Et quia in pactis reciprocis *capita praestandorum priora posterioribus insunt per modum conditionis*, quasi ita dictum foret: *praestabo, si et tu praestiteris*, patet, cur ob alterius perfidiam obligatio partis innocentis rumpatur. *Grot. III. c. 19. §. 14.*

DLXXXII. Ius, quod eis ex pacto habet, in alterum potest transferre, et etiam in ipsum debitorem.

Haec translatio si fiat ab vno gratis, dicitur debiti *remissio*, *acceptilatio*, *pactum de non petendo*; si autem remissio sit reciproca in pacto bilaterali, vocatur *mutuus dissensus*. Itaque tam remissio, quam mutuus dissensus re adhuc integra, sunt pacta liberatoria, ius creditoris tollunt, et obligationem pactitiam extinguunt. *vid. L. 35. D. de R. I.*

DLXXXIII. Fac autem pacto iusiurandum accessisse: quoniam conditiones naturales pactorum etiam iuramentis insunt, cessante per remissionem vel mutuum dissensum obligatione iustitiae, obligatio quoque Religionis cessabit. Ast si praeterea iurassent paciscentes, se nunquam dissoluere pactum velle, tollet quidem remissio, vel mutuus dissensus vinculum iustitiae, ast vinculum Religionis permanebit.

DLXXXIV Sicut creditor totum debitum simpliciter remittere potest, ita eidem licet, illud sub conditione alterius praestationis condonare, igitur obligationem *nouare*, *adsignationem* sibi factam acceptare, et ita *delegationem* perficere, aut ius suum *tertio cedere*.

DLXXXV. Est autem *nouatio* pactum, quo prior obligatio in aliam transfunditur manente eodem debitor et creditore, mutata scilicet debendi causa vel modo. *Adsignatio* autem est actus, quo debitor soluturus alium substituit, qui vice sua soluat nondum creditore consentiente. Is, qui substituit, *assignans*, qui substituitur, *assignatus* adpellantur.

DLXXXVI. *Delegatio* pactum est, quo creditori acceptanti debitor vice sua alium debitorem expromittentem substituit. *Expromittere* vero dicitur, qui obligationem alterius principalem in se suscipit: quare tres in delegatione debent consentire, *delegans*, seu debitor primus, *delegatus*, seu debitor substitutus, et *delegatarius*, seu creditor.

DLXXXVII. *Cessio* est actus, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero; qua in re consensu *ceden-*

cedentis quidem et eius, cui ceditur, seu *cessionarii*, opus est, non vero debitoris. Cuius rei causa non est, quod cedens mandantis, cessionarius vero mandantarii vice fungantur, sed quia culibet de iure suo licet disponere etiam inscio altero atque invito, dummodo nullum inde debitor detrimentum patiatur.

DLXXXVIII. Ex his haud obscurum est a) *novatione* quidem obligationem priorem tolli, eiusque accessorias, veluti fideiussionem et pignora, sed debitorem principalem ex alio debito teneri. b) *Adsignatione nuda* primum debitorem non liberari, bene vero *delegatione*, etiamsi secundus debitor seu delegatus solvendo non sit. c) Denique per *cessionem* solui quidem ius prioris creditoris, sed in eius locum venire cessionarium, et re ipsa obligationem debitoris haud cessare.

DLXXXIX. Secum ipso pacisci, atque adeo ex contractu sibi aliquid debere nemo potest; quare si debiti fiat et crediti *confusio*, cum scilicet vel debitor in personam creditoris, vel creditor in personam debitoris succedit, necesse est obligationem perimi.

DXC. Est etiam vulgare adagium: *mors omnia solvit*; mortui enim nec obligationis, nec iuris sunt capaces. Attamen non indistinctim creditores mortuo debitore iure suo cadunt; si enim ius est huiusmodi, quod in rebus a defuncto relictis aequè potest exerceri, tunc obligatio ad earum possessores transmittitur; et ideo emptio venditio, locatio conductio, et quae eiusdem generis sunt conventiones, etiam ad hos pertinent.

DXCI. At si ius erat in sola persona radicatum, cuius nimirum specialis industria et conditio fuerat electa, eatenus verum est, morte paciscentis huiusmodi obligationes atque iura exspirare. Quam ob rem contractus *societatis* vel *mandati* mortuo alterutro coaherente plene finiuntur.